

diocle arcuate reflexis, quod in speciebus reliquis non observatur. Receptaculum alveolatum, alveolorum margine non valde elevato, hinc inde in dentem abeunte. Achænia conformia, $\frac{3}{4}$ lin. longa, columnari-turbinata, i. e. inferne attenuata apicis margine paulo prominulo, 10-costata, glabra, rugulosa, atra, pappo coronata persistente, 1-seriali, setis majoribus n. 6-10 rarius-12, pl. 8 subæqualibus $1\frac{1}{2}$ - $1\frac{3}{4}$ lin. longis, denticulatis, basi incrassatis, more generis minimis interjectis.

Oas. Specimina nivariensia magis elongata sunt quam palmensia, sicut et achænia cum pappo, ceterum omni conveniunt numero. Specimen palmense gracile, sesquipedale, simul florens et fructigerum, folia præbet $2\frac{1}{2}$ -3-pollicaria, alterum juvenile dimensionibus gaudet saltem duplo majoribus. Planta succo lacteo scatens, vulnerata effluit et in gummi sic dictum coagulat.

EXPLICATIO TAB. 120.

1. Planta integra magnitudine naturali; figure reliquæ magnitudine augmentur. 2. Flos radialis. 3. Achæniium. 4. Receptaculum involucre cinctum.

5. TOLPIS WEBBII. C. H. SCHULTZ, BIP. MS.

T. perennis, herbacea, glabrescens; achæniis conformibus, glabris, 5-gonis; costis rotundatis glabris, valleculis angustis separatis; pappo 13-16-setoso, setis conferte denticulatis; *pappi radiis rudimentariis interjectis longioribus ac in aliis speciebus*; foliis radicalibus lineari-lanceolatis, pinnatifidis, hirtis, caulinis elongato-linearibus, subintegræ, glabris; caule foliato, corymboso; styli ramis brevibus, erectis.

Schmidtia Webbii. C. H. Schultz Bip., in litt. ad amiciss. Webb aliosque.

HAAB. In altis montibus Teneriffæ una cum *T. lagopoda*, Webb! in rupestribus altioribus Teneriffæ ad fontem Rosæ in regione Leguminosarum teydensium: Webb! sine loco: Berthelot! Teneriffa, *Paso del arenas negras, Canadas del Teyde*, 19 Maji 1846: Bourgeau! specimen nondum florens. Ergo Junio florere videtur et Julio achænia maturare.

DISTRIB. GEOGR. Stirps mera canariensis alpigena.

DESCR. Species distinctissima, perennis, $1\frac{1}{2}$ ped. alta, herbacea, foliis radic. rosulatis, lineari-lanceolatis, pinnatifidis, hirtis, caule ima basi vellere fugaci lanato, stricto, foliis linearibus instructo, corymboso.

RADIX perennis speciminum meorum non integra, fusiformis esse videtur, superne 2-3 lin. diametro metiens, teres, extus brunnea, intus alba, amaricans, succo lacteo, uti tota planta, plena, ita ut vulnerata emaneat et in massam brunneam coagulet. CAULIS (forsan e trunco oriens fruticuloso, uti *T. laciniata*, quod vero in specim. mancis observari non potest) 1-2 pl. $1\frac{1}{2}$ -pedalis, erectus, solitarius, gracilis, junceus, superne $\frac{1}{2}$ -1 lin. diametro metiens, teres, striatus, viridis, basi quandoque subpurpurascens, glaber et tantum inferne pilis paucis munitus brevibus patentibus, vellere brevi, foliatus, pl. ultra medium ramosus; sæpius etiam rami pauci jam infra medium, vel mox supra basin oriuntur, quandoque



in specim. macris tantum apice ramus oritur unus alterve 1-cephalus, ita ut caulis pl. corymbo composito rarius simplici sit terminatus. FOLIA radicalia rosulata, in planta fructigera pl. emarcida, numerosa, 2-5 1/2 pl. 3-4 poll. longa, superne circumferentia 6-8 lin. lata, elongato-lineari-lanceolata, pinnatifida, pinnis inæqualibus, paulo antrorsis, lineari-lanceolatis, 3 lin. longis, 1 lin. latis, acutis, quandoque vero tantum dentatis, dentibus triangulari-lanceolatis, quandoque falcatis, inferne in petiolum alatum angustata, basi in scariositatem semiamplectentem dilatata, apice cum dentibus acutiuscula et corpusculo albente marginata, utrinque pilis brevibus, simplicibus, articulatis, albensibus parce hirtis-pubescentia. Folia caulina elongato-lineararia, 1/2-5 poll. longa, 1/3-3 pl. 2 lin. lata, integra v. inferiora parce dentata, acuta, glabra. Rami inferiores simili modo se habent uti caules minores-15 poll. longi, foliati, apice corymbo simplici v. composito terminati, in axi foliorum elongato-linearium orientes; rami superiores breviores, spithamei-palmares, supremi pollicares, in axi foliorum 1-5 lin. longorum, anguste lineari-subulorum orientes. CAPITULA mediocria, 50-60 flora, semper erecta, pedicellis gracilibus 4-12 lin. et ultra, pl. 6-9 lin. longis insidentia, superne squamis nonnullis lineari-subulatis arrectis instructis et cum involucri plus minusve albide tomentoso-pubescentibus. Ramuli inferiores in hac specie non tantopere capitulum centrale superant et non tam sunt virgati quam in pluribus generis speciebus. INVOLUCRUM campanulato-hemisphaericum, 2-2 1/4 lin. altum, demum reflexum, biseriale, squamis interioribus subæqualibus n. 13-21, anguste linearibus, acutis, dorso convexis, ventre concavis sed nulla achenia foventibus, exterioribus 8-10, anguste lineari-lanceolatis, acutis, adpressiusculis, interioribus duplo triplove brevioribus. RECEPTACULUM 3/4 lin. diametro metiens, convexusculum, foveolatum, foveolarum margine brevi hinc inde in denticulos parvos elevato. FLORES flavi, exsiccatione virescentes, radiales 3-3 1/2, centrales 2 1/4 lin. longi, omnes 5-dentati; tubus 1 lin. longus, albus, pilis brevissimis patentibus, simplicibus, articulatis munitus, etiam in dorso ligulae observandis; antherae exsertae; styli rami breves, arrecti, breve hirti. ACHÆNIA conformia, 3/4 lin. longa, columnari-turbinata, 5-gona, costis rotundatis, non striatis, glabris, valleculis 5 angustis separatis, glabrescentia, nigra, superne margine prominulo munita, basin versus attenuata et callo basilari munita. PAPPUS 1-serialis persistens albus, setis majoribus n. 13-16 denticulatis, inferne incrassatis, 5/4-1 1/2 lin. longis, paucis minoribus more generis interjectis sed longioribus ac in aliis speciebus.


Obs. Species hæc ob pedicellos subæquilongos, i. e. longitudine non tam diversos, et pappi radios non rudimentarios magisque elongatos ad Hieracium accedit.

EXPLICATIO TAB. 122.

1. Planta integra magn. nat. 2. Flos uti figuræ reliquæ auctus. 3. Achænium pappo coronatum. 4. Receptaculum involucri cinctum.

DIV. II. ANDRYALEÆ. C. H. SCHULTZ BIP.

Styli rami elongati subarcuate reflexi. Capitula corymboso-racemosa, rarius solitaria. Involucrum 1-seriale. Flores aurei. Receptaculum setosum, setis integris, rarius margine paleatum. Achænia con-



Thuret del.

Lith. J. B. R. B. 7.

Cirsium altissimum.

Cirsium altissimum C. H. Sch. Bip.